

CAPUT IV. De Scripturæ sacre versionibus.
Quæ de sacrarum litterarum versionibus a theologis dicenda sunt, afficiunt potissimum vulgatam versionem latinam, ac versiones vernaculis linguis confectas. Hoc enim eorum postulat minus, tuendimur quæ ab Ecclesia sunt constituta. Cum vero Ecclesia authenticam declarari vulgatam latinam, pluraque de versionibus in lingua vulgari decreverint romani pontifices, consequitur theologi esse horum vindicias sumere adversus Ecclesiæ detractores, qui ingentes ea de causa clamores excitarunt. Quod enim attinet ad antiquarum versionum sive orientalium sive occidentalium recensionem, singularumque pretium, epocham, auctores, neenon ad recentiores versiones, editiones, earumque decora aut vitia, ea sibi sacrarum litterarum institutores referre et expendere veluti proprium objectum assumunt.

Porro quoad vulgatam latinam Bibliorum versionem non paucæ motæ sunt controversiae; ac primo, quoniam sensu a Tridentino declarata authentica sit, utrum scilicet cum textuum originalium detimento, quod plures heretici, non ita pridem, ut Ecclesiam catholicam criminarentur, obtenderunt; an vero tantum comparate ad ceteras, quæ circumferebantur, latinas versiones; secundo, an per suum decretum Tridentina synodus intenderit vulgatam versionem non a quovis solum errore circa fidem ac mores immunem declarare, sed etiam a qualibet alio vito quod sive res et sententias sive ipsa verba attingat, ita ut ab omnibus mendis libera plane sit; tertio, utrum vulgata censeri debeat inspirata, ut nonnulli existimarunt (1), necne; quarto, utrum denique editio communis a Sixto V. et Clemente VIII. edita ita pura a mendis sit, ut ulteriori nequeat subjici emendationi.

Fere omnes ejusmodi quæstiones magna olim animorum contentione atque astu agitate obsoleverunt; nemo ut jam inter protestantes reperiatur qui hanc Tridentino mentem et consilium in suo decreto edendo fuisse contendat, vulgatam nempe versionem supra textum ipsum primigenium efferre, aut prohibere quominus quisquam ad ipsos, si opus fuerit, fontes originales accedat, ut plures iisque gravissimi catholici auctores ostenderunt (2). Sie nemo ex ca-

(1) Inter ceteros Petrus Sutor in op. *De translatione Bibliae*, cap. 10. Titelmanus in *Disput. pro editione vulgata*, adiecta comment. in epist. ad Rom. Mariana in *Disput. pro edit. vulgata*, cap. 22. et seq., Morinus, *Exercit. Bibl. lib. I. c. 12.*

(2) Cf. Pallavicini, *Storia del conc. di Trento*, lib. VI, cap. 17. ubi ostendit nuquam mentem concilii fuisse vulgatam versionem supra textus hebraicum et græcum efferre, aut impedit quominus scriptores ad eos textus recurrent, cum opportunum judicaverint ad pleniorum sensus intelligentiam. Sane Salmeronius qui ipsi concilio interfuit, haec habet prol. III. edit. Colon. Agripp. 1602. p. 24. Postremo accessit concilii Tridentini approbatio, quod videns nostri seculi hereticos palam contempnere Vulgatam, sive veterem Hieronymi editionem, novasque pro suo arbitratu quemque producere, tale condidit decreatum... Jam secundo loco ostendamus, non ita fuisse Vulgatam Hieronymi editionem probatam, ut propterea rejecta sint intelligenda vel græca, vel hebraica volumina: quod non est difficile ostendere. Nihil enim ibi de exemplaribus aut græcis aut hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quot nostra secula parturierant, quæ-

tholicis est qui nunc inspirationem tueatur in latina vulgata adornanda, aut qui adhuc existimet ita eamdem esse vulgatam editionem a quibusvis librariis aut typographicis mendis immunem, ut nequeat ulteriori subjici emendationi, id quod auctor ipse prefationis ad lectorem in editione Clementis VIII. fatetur (1). In eo tamen, unanimi prorsus sensu, catholici conveniunt omnes, nullum vulgata in editione errorem contineri in iis saltem quæ ad fidem moresque spectant, aut etiam quæ alicuius momenti sint in rebus atque sententiis (2). Quo sensu affirmant authenticam declaratam esse vulgatam latinam a Tridentino, cuius nimurum decreto factum est, ut latina haec versio originali textui plane conformis dijudicata fuerit, atque extrinsecam præterea auctoritatem nacta sit: unde nos ex publico ejusmodi ac solemni Ecclesiæ judicio, certi efficimus de ea conformitate atque intrinsecam consonantiam, quam habet cum fontibus ipsis, ita ut ejus respici auctoritas a nemine possit. Nos ipsis adstipulamus; atque hoc sensu, reliquis iam obsoletis controversiis prætermis, authenticam adstruimus adversus protestantes vulgatam latinam versionem.

Ne vero in obscuritate versemur, juverit hic verba

nam ex illis præstaret, sermo erat... Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas profundi meditantur, fontes græcos aut hebraeos, quatenus opus sit, consulere, etc. His consonant quæ adversus Calvimum et Philippum Melanchthonem scripsit Andreas Vegas, alter concilii theologus, lib. XV. *de Justif.* cap. 9. Colon. 1572. p. 692, ubi cum præmisisset concilium approbasse Vulgatam latinam expurgatam a mendis chalcographorum, nec eam tanquam a celo delapsam adorari voluisse, aliaque ejusmodi, subdit: «Et hanc fuisse mentem synodi, nec quidquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis, et ex aliis consuetis approbationibus concilii possit. Et ne dubites de hoc, verisimile possum tibi (Calvino) allegare pro his amplissimum et observantissimum dominium Sancte Crucis cardinalem... qui illi sessioni et aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaret, et postea, non opinor semel, mihi testatus est, nihil amplius voluisse patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam aliis, propter hanc approbationem vulgatae editionis impedit, quoniam, ubi hascitetur, ad fontes recurrit, et in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juvenit, et locupletetur latini et vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et que sensu Spiritus s. et ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur.» Post haec supervacaneum puto ea adidere quæ scribut Bellarminus in eundem sensum lib. II. *De verbo Dei*, c. 10. Rugerius, secretar. apostol. lib. *De Script. canonici*, cap. 44. alioque bene multi: hos magnu numeru recenset Humfr. Hodius Oxoniensis, in op. *De Bibliorum textibus*, etc. Oxon. 1705. lib. III, cap. 15. Hic autem ubique intensissimum se præbet rom. Ecclesiæ. Contrarium tamen contendit Melchior Canus, *De locis*, lib. II, c. 15. seq. cum aliis, quibus a fortiori adstipulantur qui Vulgatam inspirata censuerunt.

(1) Cujus auctor, ut mox videbimus, ipse Bellarminus est. Sane satis est oculos conjiceri in alterum ex duabus libellis quos Lucas Brugensis card. Bellarmio obtulit, in quo specimen correctionum in IV. Evangelia exhibet que in textu Vulgata fieri possent. Opp. ed. Antwerp. 1606. tom. II. p. 1036. Item in duabus aliis libellis, qui ad calcem comment. Du-Hamel recusi sunt.

(2) Quad errores qui rei substantiam non attingant, utrum reipsi nonnulli in Vulgata editione reperiantur affirmant ali, alii vero negant. Negant inter ceteros Cabassutius in *Datria ecclesiastica circa Trident. decretum de Vulgata Biblor. editione*; in *Notitia conc. item Bellarm. in Dissert.* quam ex MSS. an. 1749. in lucem protulit Windenofner. Simon de Muis, lib. *De auctor. textus hebr.* Serarius in *Proleg.* cap. 21. Bonfrerius in *Praelog.* Jo. de la Haye in prol. Nat. Alex. sec. IV. diss. XXXIX. Bossuet in *Projet de l'union*, etc. Affirmant ali, inter quos novissime Jos. Zama Mellini, prof. Bononiensis, in *Institutionib. Biblicis*. Bonon. 1853. p. 1, diss. 2, cap. 5, art. 5. q. 1, p. 102. seqq.

ipsa præmittere Tridentini decreti sess. IV. quæ ita se habent: «Eadem sacrosancta synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesie Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, predicationibus, et expositoribus pro authenticâ habeatur, et ut nemo illam rejiceat quovis pretextu audeat vel presumat.»

Quod vero spectat ad recentiores versiones Bibliorum vernacularis, duo sunt apprime distinguenda, *versiones* videlicet in se, et illarum *lectio*. Nullo unquam tempore prohibuit Ecclesia quoniam Scriptura sacra in linguis vernacularis vertetur: et sane vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis et in sequentibus seculis pluribus ejusmodi versiones sive in Oriente, sive in Occidente prodierunt, quin sese illis opposuerit Ecclesia, imo quandoque eis usa est, ut constat de versionibus Aquilæ, Symmachi ac Theodosii (1). Nemo præterea est qui inficietur plurimum utilitatis in criticismam biblicam, hermeneuticam et exegesis ex antiquis versionibus syriacis, arabicis, coptica, armena, persica etc. promanare, potissimum vero ex versione græca Alexandrina, seu ut dicitur LXX interpretum (2), quoad libros V. T. quam Ecclesia adoptavit ac suam fecit. Attamen Ecclesia nunquam non invigilavit fidelitatem versionum, praesertim postquam heretici cœperunt sacram Scripturam in linguis vulgares vertere, seu potius corrumperem ad suos populus errores propinando (3); improbabit enim ejusmodi versiones earumque lectionem fidelibus interdixit.

(1) De quibus inter ceteros cf. Hodium, op. cit. lib. IV. cap. 1, qui fuse et erudit de ipsis peragit, neenon Jac. Le Long. *Bibliotheca sacra*. Paris 1725. tom. I. cap. 5. sect. 1.

(2) Ianumera prope sum eruditum tum catholicorum tum protestantium de hujus versionis origine, auctore, sive auctoriis, atiae, etc. sibi adversaria judicio. Magna ex parte ea collegit Hodius, op. cit. qui præmissa historia Aristæ græce et latine, tota lib. I. refert ac expedit auctiorum utriusque communianis de hac versione varia placita; lib. II. stam profert sententiam de tempore, modo, ac ratione qua eadem confecta est, concludit cap. 7. seqq. a Judeo hellenista Alexandrinus solius Pentateuchi versionem adornatam fuisse; demum aeriter impugnat Isaac. Vossium qui in libello *Be translatione LXX. interpretationum illarum versionem* probaverat. Richard. Simon in *Disputationibus critiscis de variis bibliorum editionibus* (perpetram Lud. Capello a nonnullis adscriptis), Londini 1684. cap. 13. censem nomine LXX. hanc versionem fuisse insignitam, quod probata fuerit a Synodo quod constabat LXX. aut LXII. membris. Eadem jam scripsit serat in *Hist. crit. vel. test. lib. II. cap. 2.* Sic alii passim. Attamen nondum lis finita est; siquidem doctus De Magistris in sua edit. *Daniel secundum LXX. interpretes* quemlibet primum ex Chisiano codice vulgavit Roman. 1772. vol. in fol. Hodius ceterisque septuagintavirales versiones osoribus apologeticis opus osit quam quinque prolixis eruditissimisque dissertationibus complexus est, etiamque strenue tutatur. Eum adsis.

(3) Valdenses omnium primi fuerunt ex sequioribus hereticis, qui in Galliæ Biblia in lingua vernaculari vertent, ac proinde corrupserint: horum versionem dannavit Innocentius III. initio sec. 15. epist. CXLI. lib. II. epist. ed. Baluzianus p. 452. Hanc altera excepti Novi Test. translatio in lingua vernac. seu gallic. adornata a sacerdote Lugdunensi Stephano de Ansia, vel de Ensa, studio et impensis Petri Valdensis post an. 1170. aut 1180. Cf. Le Long, op. cit. tom. I. cap. 4. part. 2. art. 1. pag. 512. seqq.

Interim cum in dies hic morbus ingravesceret, postremis hisce temporibus, postquam instituta societas sunt vulgo *biblicæ* nuncupatae, quarum seopus est Biblia in omnes linguis que nunc vigent, translata ubique disseminare, ingenti christiana et catholicæ fidei jactura, romani pontifices iteratis decretis eas societas biblicas proscriperunt. Inter hos eminent Pius VII. et Leo XII. (1), qui episcoporum zelum exercitauit ut fideles sibi creditos ab ejusmodi molimini bus tarent ac premunirent. Contra vero protestantes, societatum harum architecti et inventores, eas passim ad sidera tollunt, pecunia, industria, opera et qua demum cumque possunt ratione fovere ac disseminare satagunt, romanosque pontifices, qui eas improbarunt, ceu tenebrarum patronos atque humani ingenii progressus inimicos et hostes tradunt.

His ita expositis, superest ut accedamus ad vindicandum Tridentinæ synodi decretum de vulgata latina editione, et rom. pontificum de societibus biblicis judicium. De lectione autem Scripturæ sacrae in lingua vernacula agemus in cap. in sequenti. Heic enim ea duntaxat complectimur que ad versiones spectant. Sit igitur

PROPOSITIO I. — Merito Tridentina synodus ex omnibus latinis editionibus que circumferebantur sacrorum librorum veterem vulgatam editionem pro authenticâ habendam esse statuit et declaravit.

Duo, ut paulo ante innuebamus, hoc suo decreto Tridentina synodus efficit, dum vulgatam versionem præ reliquis quæ circumferebantur latinis editionibus authenticam statuit ac declaravit; nempe testata est ejus intrinsecam conformitatem cum textu primitivo non solum in rebus fidei ac morum, verum etiam in ceteris saltu quoad substantiam; eique contulit præterea extrinsecam quamdam auctoritatem, quam reliquis non contulit, imo nec contulit alicui textui originali sive hebraico sive græco (2). Cum autem de hoc aperte constet ex decreto ipso, non est cur in hoc probando insistamus.

Conformatatem vero intrinsecam vulgatae editionis latine cum textu primitivo, in sensu exposito, ita evincimus. Versio illa textui originali seu primigenio conformis censenda est, que longo seculorum usu in Ecclesia obtinuit; que tulit ab adversariis ipsis suffragium; que denique falsitatis et erroris nedum

(1) Pius VII. epist. datis ad Archiepisc. Gnesnensem die 29. jun. 1816. et ad Stanislaum archiep. Mohiloviensem, die 5. sept. ejusdem anni; Leo XII. in Encyclica ad omnes patriarch. prim. archiep. et episc. die 5. mai. 1824.

(2) Ex hac distinctione inter authenticam *intrinsecam* et *extrinsecam* videtur omnino subtila controversia de prælatione a Tridentino data vulgatae editioni supra textus, aliasque versiones. Etenim concilium fontes antiquasque versiones non attigit, sed illos et has reliquit in *statu quo*, ut loqui mos est, dimisitque eruditis de illis, istarumque intrinseci valore disceptare, cum ijsis decreto suo, ut testatur card. Pallavicinus loc. cit., ulla ratione detrahere noluerit. Contulit propterea editioni vulgata latine authenticam extrinsecam, qua certi efficemur nihil in ipsa reperiisse ad fidem sive ad mores, aut sententias pertinens quod dissentiret a fontibus primigeniis.

circa fidem et mores, sed et quod cetera quae attin-
gunt substantiam, argui nunquam potuit. Talis porro
est versio vulgata latina a Tridentina synodo pro-
bata.

Nam de usu Ecclesiae latine longo seculorum tra-
etu res testafissima est, atque constat ex ipsa vulga-
te editionis historia. Norunt siquidem erudit viri ab
ipso fere aevi apostolico latinam versionem adorna-
tam fuisse ex V. Testamenti græca versione septua-
ginta interpretum (1), et ex græco textu Novi Testa-
menti (2). Haec porro verso primatum semper obti-
nuit in Ecclesia, quam s. Hieronymus communem et
vulgatam (3), s. Augustinus Italam (4), s. Gregorius M.
aliique veterem nuncuparunt, ut eam ab innume-
ris prope latinis versionibus secererent quæ per
illam æstatem a privatis hominibus prodierant (5).
Hanc translationem summis Ecclesiae patres præcisis
extulerunt, præsentim vero s. Augustinus qui eam
etiam reliquis omnibus eo nomine præferendam cén-
suit, quod esset verborum tenacior cum perspicui-
tate sententiae (Lib. II. De doctrina christ. c. 15).
Atque ita quidem se res habuit, donec s. Hierony-
mus novam ex hebraico fonte librorum V. T. versio-
nem adornavit, que cum in dies principem sibi lo-
cum vindicaret, apud Gregorium M. vulgatæ novæ
denominationem naeta est, comparatione illius vete-
ris vulgata, seu Italæ versionis (6). Verum et haec
ipsa nova vulgata veteris vulgata nomine a Tridentino
est insignita, eo quod et ipsa vetus evaserit, inter-
vallo plus minus 1000. annorum, quot nempe a tem-
pore quo primum prodiit usque ad laudatum concilium
defluxerunt: eo vel magis, quod ex non usu
vetus illa Itala vix oblivioni data non fuerit (7). Edi-
tio vulgata a Tridentino probata, maximam partem
constat ex versione Hieronymiana, et ex libris illis,

(1) Cf. Praef. ad lect. editioni Clementis VIII. Si enim
exciplias Psalterium, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum,
duosque libros Machabæorum, qui juxta antiquam versionem
latinam retenti sunt, ceteri libri spectant ad versionem
Hieronymianam, quam integrum exhibent Martianæus et
Vallarsius in Bibliotheca divina ejusdem Sancti.

(2) Nam præter Cassiodorum qui sec. 6. (obit enim
magis hic vir juxta verisimiliorem sententiam an. 578). Biblia recensuit, cuius etiam complexiones vulgavit Mar-
chio Maffejus; Alcuinus an. 802. novam recensionem suscep-
tit; item Lanfrancus an. 1089. Stephanus II. abbas Cister-
ciensis an. 1109. necnon card. Nicolaus diaconus s. Damasi
an. 1150. Patres Dominicani Parisienses an. 1256. suum
ediderunt celebre correttorum, de quo fuse agit Fabricius
Ord. Praed. in op. Des titres primitifs de la révélation. Rome
1772. tom. II. p. 122. seqq. Postea vero aliis id laboris sibi
sumpserunt, presertim card. Ximenes qui an. 1517. vulga-
vit suam Polyglotam, deinde Robertus Stephanus qui an.
1528. et 1542. novas edidit Vulgatae editiones; denunci Lova-
nienses, an. 1547. emendatorem editionem vulgarunt,
quæ posterioribus curis magis adhuc expurgata est. Cf. Cl.
Brunati diss. 5. « Del nome, dell'autore, de' correttori,
dell'autorità della versione vulgata » inter Dissertations
Biblicæ, quas vulgavit Mediolan. 1858. pag. 59. 60.

(3) Conuent. in cap. 15. s. Matth. v. 55. et in epist. cvi.
ed. Vall. ad Sunniam et Fretelam n. 2.

(4) Lib. II. De doctr. christ. cap. 15. Cur vero Itala
nuncupata fuerit, iuxta Ferdinandum diaconum in Sunna
Biblica lib. III. cap. 4, ideo est quia patres præsentim Itali
ea uteruntur. Cf. item Sabatier, op. et loc. cit. p. 51.

(5) Etenim s. August. lib. II. De doctr. christ. cap. 11.
n. 10. « Qui Scripturas, inquit, ex hebreo lingua in græ-
cam vertierunt, numerari possunt, latini autem interpretes
nullo modo. Ut enim cinq̄e primis fidei temporibus in ma-
nus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi
utriusque lingue habere videbatur, ausus est interpre-
tari. »

(6) Cf. Jos. Blanchinius, op. cit. Pref. gener. p. 28.

(7) Doctus Sabatier, monachus Maurinus, ex codicibus
Mss., ex veterum patrum, auctorumque ecclesiasticorum
scriptis, Missalibus, Breviariorum aliisque monumentis in quibus
veteris hujus interpretationis fragmenta, et lacunæ ex-
tabant, incredibili studio et patientia integrum pene colle-
git et vulgavit, sex volumen. in-folio Remis 1745. Idem
præstitus magna saltem ex parte Blanchinius in Indi-
cis.

quos idem sanctus saltem recensuit et castigavit (1). Licet porro vulgata versio identidem a viris doctis ad veræ fictionis integritatem revocata fuerit, et a mendis, quæ ex librariorum oscitantis irrepserant, expurgata (2), tamen' etate concilii Tridentini p'uribus iterum maculæ scatabant, quapropter concilium eadem sess. IV. decrevit et statuit, ut in posterum vulgata habeat quam emendatissime imprimere.

Nihil intentatum reliquerunt rom. pontifices, præcipue vero Gregorius XIII. Sixtus V. Greg. XiV. et Clemens VIII, institutis ad id munera congregatioibus, ut vulgata editio ad mentem concilii emendatissima prodiret in lucem, ut re ipsa factum est. Cum igitur vulgata latina versio in usu fuerit tot seculorum lapsu in Ecclesia occidentali, ac summ's ss. patrum laudibus celebrata (3), cum eam adhibuerint oecumenica concilia, cum tot doctorum virorum curis ad hebraica et græca exemplaria exacta fuerit, ac saepius adeo a mendis tum librariorum, tum chalcographorum fuerit castigata, ac romanorum demum pontificum auctoritate prodierit, quin despere velimus, fateamur necesse est, eam plane, non in his modo quæ ad fidem moresque pertinent, sed in his etiam quæ saltem substantiam afficiunt, confirmem

(1) Cf. Praef. ad lect. editioni Clementis VIII. Si enim
exciplias Psalterium, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum,
duosque libros Machabæorum, qui juxta antiquam versionem
latinam retenti sunt, ceteri libri spectant ad versionem
Hieronymianam, quam integrum exhibent Martianæus et
Vallarsius in Bibliotheca divina ejusdem Sancti.

(2) Nam præter Cassiodorum qui sec. 6. (obit enim
magis hic vir juxta verisimiliorem sententiam an. 578). Biblia recensuit, cuius etiam complexiones vulgavit Mar-
chio Maffejus; Alcuinus an. 802. novam recensionem suscep-
tit; item Lanfrancus an. 1089. Stephanus II. abbas Cister-
ciensis an. 1109. necnon card. Nicolaus diaconus s. Damasi
an. 1150. Patres Dominicani Parisienses an. 1256. suum
ediderunt celebre correttorum, de quo fuse agit Fabricius
Ord. Praed. in op. Des titres primitifs de la révélation. Rome
1772. tom. II. p. 122. seqq. Postea vero aliis id laboris sibi
sumpserunt, presertim card. Ximenes qui an. 1517. vulga-
vit suam Polyglotam, deinde Robertus Stephanus qui an.
1528. et 1542. novas edidit Vulgatae editiones; denunci Lova-
nienses, an. 1547. emendatorem editionem vulgarunt,
quæ posterioribus curis magis adhuc expurgata est. Cf. Cl.
Brunati diss. 5. « Del nome, dell'autore, de' correttori,
dell'autorità della versione vulgata » inter Dissertations
Biblicæ, quas vulgavit Mediolan. 1858. pag. 59. 60.

(3) Conuent. in cap. 15. s. Matth. v. 55. et in epist. cvi.
ed. Vall. ad Sunniam et Fretelam n. 2.

(4) Lib. II. De doctr. christ. cap. 15. Cur vero Itala
nuncupata fuerit, iuxta Ferdinandum diaconum in Sunna
Biblica lib. III. cap. 4, ideo est quia patres præsentim Itali
ea uteruntur. Cf. item Sabatier, op. et loc. cit. p. 51.

(5) Etenim s. August. lib. II. De doctr. christ. cap. 11.
n. 10. « Qui Scripturas, inquit, ex hebreo lingua in græ-
cam vertierunt, numerari possunt, latini autem interpretes
nullo modo. Ut enim cinq̄e primis fidei temporibus in ma-
nus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi
utriusque lingue habere videbatur, ausus est interpre-
tari. »

(6) Cf. Jos. Blanchinius, op. cit. Pref. gener. p. 28.

(7) Doctus Sabatier, monachus Maurinus, ex codicibus

esse fontibus primigeniis, seu originali textui, eidem
que plene congruere.

Atque hinc illud accedit singulare quod protestan-
tes, qui adversus decretum Tridentinum tot ab ini-
tio tantosque motus excitaverant, primo illo deinceps
animi æstu deservescente, cooperint decretum illud
commendare, et vulgatam editionem laudibus prose-
qui, ceterisque versionibus anteponere. Longus nimis
esse, si omnia quæ in hanc rem existant doctissimo-
rum inter protestantes testimonia adducere hic vel-
lem, Conradi Pellicani, utriusque Osiandri, patris
scilicet ac filii, Theodori Bezae, Isaaci Casauboni,
Hugonis Grotii, Joan. Drusii, utriusque Buxtorphi, Lu-
dov. De Dieu, Waltoni, Millii, Boisii, aliorumque
passim (1). Satis propterea nobis hic sit unum aut
alterum in medium afferre: « Annotavi autem, in-
quit Grotius, quæ annotanda duxi ad latinam versio-
nem, pridem receptam, quam semper feci plurimi,
non modo quod nulla dogmata insubstia continet,
verum etiam quod multum in se habeat eruditiois,
quamvis in dicendi genere satis horrido (2); » et
iterum: « Tutissima omnium iis qui nec hebraice
nec græce didicere, est vulgata versio, que nullum
habet malum dogma, sicut tot seculorum et gentium
consensus judicavit (3). » Waltonus de doctis suis
acatholicis scribens, ait: « Vulgatam ceteris latinis
hodiernis in hoc præferendam existimant, quod om-
nibus antiquior, et in ecclesia occidentali per mille
annos publice recepta sit, unde merito magni facien-
da est, nec temere rejicienda, ut postea fusius ostendemus (4). » Item Millius suffragium suum suffragio
Boisii conjungens scribit: « Joannes Boisius nostras
scripsit tractatum longe doctissimum... in quo ver-
sionis veteris (vulgatae) agit vindicias, ejusque loca
quamplurima cum Beze alicunque versionibus col-
lata recte omnino se habere demonstrat (5). » De-
mum Joan. Dav. Michaelis: « Præverat, inquit, Vul-
gata male deinceps ab aliis neglecta, cum sit versio-
num una omnium præstantissima... Ipsi enim audi-
tores mei, tam protestantes quam pontificii, facile
recordantur, quantopere ego Vulgatæ usum tum cri-
ticum, tum exegeticum commendem, ejusque con-
temptum vituperem (6). » Hec quidem doctiores
protestantes veteres et recentiores, quibus plures alii
addi possent: cum his vero si compares quæ non
nulli neoterici catholici inculta ac temere de vulgata
versione scripserunt, patebit quo ferant amor novita-
tis, cunctaque innovandi inconsulta lubido (7).

(1) Hos magno numero collegit Brunatus in cit. Dissert.
pag. 73. seqq. Alios quoque profert vel ipse Hodius op. cit.
lib. III. cap. 16. et Czappon op. cit. Rindicatio Vulgatae la-
tinæ edit. tom. I. p. 33. et iterum pag. 89.

(2) In Prof. seu monito ad lectorum premisso comment.
in libro V. T. Opp. theolog. Amstel. 1679. tom. I.

(3) Cit. edit. tom. III. pag. 674. in Volo pro pace ecclesi-
stica.

(4) Proleg. X. n. 6. p. 72. col. 1. Eadem repetit et in-

cidat in fine ejusdem prolegomeni p. 74. col. 2.

(5) Prolegom. in Nov. Test. edit. cit. pag. 158. Eadem

fere scribit ib. p. 162. et p. 80.

(6) Suppl. ad lex. hebraic. p. 5. p. 992 et biblioth.

orient. tom. XXI. n. 511. Quæ idem auctor scripsit in

latr. ad Nov. Testam. postea afferens.

(7) Inter quos doleamus recensemendum esse Hug. cuius

PERRONE II.

Ex his jam sequitur quod tertio loco proposuimus
ad deeratum Tridentinum vindicandum, scilicet ar-
gui nunquam potuisse aut posse hanc versionem
alicuius erroris nedum in doctrina de fide et mori-
bus, sed neque in iis que rerum in ea contentarum
substantiam attingant. Quod tum positive, ut aiunt,
tum negative facile ostendi potest. Etenim id primum
conscitur ex aperta protestantium confessione quos
adduximus, qui palam profluerunt nullum circa do-
gmata in Vulgatam errorem irrepsisse, quos inter
Millius eo usque progressus est, ut scribere non du-
bitaverit: « Certe tantum abest, ut ad textum græcum
excusum quamecumque (Vulgatam Novi Testamenti)
reformatam velim, ut contra optimè cum ea actum
existimem, si manuscriptorum exemplarium diligenter
collatorum ope, talis apud posteros prodeat, quem
eam edidit Hieronymus (Proleg. in N. T. p. 142). » Et
sane si ex dictis constat de hujus versionis cum textibus
primigeniis conformitate, fieri nequit ut ipsa quidpiam
contineat quod illorum substantiae aduersetur. Id
ipsum præterea probatur ex usu constanti ejusdem
versionis per annos plus minus mille in universa
occidentali ecclesia. Qui enim acciderit ut Ecclesiae
pars nobilissima, præsentim vero Romana, tota
seculis fuerit versione vitiosa in rebus substantialibus?
Quod quidem videt Ludovicus ipse Capillus, qui
quamvis heterodoxus hæc luculenta sane protulit:
« Non est passus Deus in translationes quibus Ecclesiae
sua usa est, et etiamnam hodie ubique utitur,
glicere varietatem seu alterationem momentosam,
que doctrinam ipsam immutet, atque corruptat (1). »
Negative autem quod intendimus demum evincitur
ex solutione difficultatum quas acatholici aduersus
Vulgatam identidem opposuerunt, quarum nulla est,
ut ex inferi dicendis patet, quæ substantiam
ipsam afficiat.

Sive igitur spectetur versionis vulgatae per tot
secula in Ecclesia usus, sive aduersorum ipsorum
suffragium, sive denique impossibilitas quidpiam in
ea reperiendi quod argui erroris queat in rebus fidei
aut morum, aut quod substantiam quoquomodo
attingat, patet quod evincere proposuimus, nihil vi-
delicit in ea contineri quod textui primigenio plane
conforme non sit, adeoque, quod consequens est,
merito a synodo Tridentina latinam vulgatam editio-

verba in gallicam linguam conversa exhibet Cellerier op.
cit. introduction, etc. pag. 200. seqq. quæ paulo post ex-
pendimus. Item communerandi Jahn, introd. in lib. Sacr.
§ 63. et seqq. qui inter cetera commemorat Salmeronem
qui cum Bellarmino interfuit concilio Tridentino, eti Bellarmino
longe post Salmeronem floruerit, nec unquam
concilio interfuerit; et Gerg. Hermes qui zelanteum, etc. seu
introd. in Theol. christiano-catholicam. Par. altera, p. 457.
falso tradit Decretum Tridentinum, legem disciplinarem
fuisse, que tantum per id temporis obligationem inferebat:
idque hæc ratione confimat. « Etenim hoc sensu acceptum
(decretem illud) erat ordinatio quadam ac medium illi
tempori peropportunitam in quo mutua conflictatio inter
plures latinas versiones periculum orthodoxæ doctrinæ af-
ferebat; ac proinde cessabat ipsa per se esse statim ac ea
conflictatio (atque hæc quidem jadis desivit) et conse-
quentis inde vera christiana doctrina periculum sublatum
esset. »

(1) Critica sacra, Lutet. Paris. 1650. lib. VI. cap. 5. § 10.
pag. 403.

(Trente-scp.)

nem pro authentica habentiam esse, statutum fuisse ac declaratum.

Verum et illud præterea luci ex Tridentino habemus, quod hæc haud amplius debeamus circa genuinam versionem, prout hæc necessario debent protestantes; qui cum noluerint agnoscere uti authenticam versionem Vulgatam, fluctuant incerti in electione tot inter versiones, quæ apud ipsos prodierunt (1). Et quanquam ipsi huic incommodo occurserat sacerdotum tum in synodo Dordrechtana (2), tum in synodo Lipsiensi cui subscripsérunt Melanchthon, Pomeranus, Major, aliique (3), res tamen infecta est, alii protestantibus obstantibus, cum nulla ad id cogi auctoritate possent. Quo sit ut nondum convenerint in ulla admittenda communi versione, et adhuc de varietate et infidelitate versionum suarum conquerantur (4). Imo de genuino textu adeo certi non sunt, ut nondum inter se convenire potuerint in textu primigenio assignando, atque in vera determinanda lectione sive textus hebrei quod Testamentum Vetus, sive textus græci quod Novum, post tot scilicet exantatos labores, post tot criticas recensiones (5)!

DIFFICULTATES. I. *Obj.* 1. Obstupuerunt exteri, inquit Sarpius, quum acceperunt a conventu paucorum episcoporum, qui neque in theologia valde versati erant, definitum adeo gravem articulum fuisse (6). Namis sane inconsulto ac leviter ejusmodi decretum editum esse constat ex ipsa rei de qua agitur natura. 2. Etenim vulgata latina versio non una, sed multiplex est; consatur scilicet ex plurimis antiquarum versionum mixtione quarum auctores ignorantur (7). 3. Quod si Hieronymo auctore emendata est ad fidem græcorum exemplarium, cito depravata fuit ejusmodi recensio et permixta ex versione antiqua corruptissima (8), 4. adeo ut in plurimis adhuc differat versio haec vulgata a versione quæ est in Bibliotheca divina

(1) Sane licet innumeræ prope a protestantibus versiones tum ex hebreis cum ex græcis fontibus adornatae fuerint, nulla tamen est apud ipsos communis versio, et quoties adhuc ab ipsis commentatoria eduntur in Scripturam, toties novam exhibent versionem a se factam, ut patet ex editione Koppiana, ex Scholæ utriusque Rosenmüller, ex *Commentarij Kunoelii*; ex opusculis Knappiæ aliiisque passim ipsorum operibus.

(2) Cf. J. B. Branca, *De sacr. libr. latine vulgatae editionis auctoritate*, Mediol. 1781. vol. I. lib. II.; cap. 3. pag. 205-203.

(3) Cf. Bellarm. *De verbo Dei*, lib. II. cap. 10. n. 1.

(4) Cf. Branca op. cit. loc. cit. Sane vel ipse Grotius in *Voto pro pace*, opp. edit. cit. p. 674, hæc de protestantibus versionibus scribit: « De versionibus Beza et Piscatoris, quorum eruditio ego magni facio, et aliorum quorum eruditio non tanti facio, sepe eas detortas ad privatos ipsum sensu montere multi... et de Genevensi versione, quæ tamen in locis non controversis non est sernenda, Rex Jacobus, etc. »

(5) Inter tot editiones criticas a protestantibus editas sive in Germania, sive in Anglia, sive in Galliis, tum Veteris tum Novi Testamenti, a Beza et Roberto Stephano usque ad Michaelisium, Griesbachium, et Lachmann, nulla est quæ cum altera plene consentiat, diversæque lectiones, interdum etiam non parvi momenti, reperiuntur, nec textus communis omnibus adhuc habetur.

(6) *Storia del conc. di Trento* lib. II. coll. Pallavicini Istoria, etc. lib. VI. cap. 17.

(7) Cf. Michaelis *Introd. au Nouveau Test.* tom. II. première part. chap. 7. sect. 29.

(8) Ibid.

s. Hieronymi (1). 6. Quamobrem recte illam vocaveris centonem quemdam ex diversis laciniis consutum, quin tuto affirmari possit ad quamnam antiquarum versionum pertineat (2). 7. Sed præterea detrita est cum in locis minime paucis a textibus primigeniis tum hebreis, tum græcis dissentiat; ac in nonnullis abundet, in aliis vero desit, ac sepe differat ab antiquis orientalibus versionibus, præsertim vero Syriaca Peschito, quæ purissima omnium censemur (3). 8. Satius proinde fuisse Tridentinæ synodo illorum obtemperare consilio qui hujusmodi incommodes permot proposerant, ut nova e fontibus versio fieret, quæ authenticæ declararetur (*Ita Sarpius, loc. cit.*). Duplex exinde emolumenum percepissemus, alterum nempe, quod versionem elegantiore possidemus, totque iis carentem barbarismis quibus Vulgata scatet, ut sperandum erat sec. XVI. quum græca ac latine litteræ maxime florarent; alterum vero quod liberi essemus ab innumeris prope aequalibus variantibus lectionibus, quæ reperiuntur ex collatione vulgatae versionis cum codicibus MSS. quibus abundant Bibliothecæ nostræ. Ergo.

Resp. ad 1. D. Obstupuerunt hæretici et quidem immerito, C. catholici N. Huc pariter referenda sunt quæ aduersus hanc ipsam difficultatem, quam Sarpius excitarat propter decretum a concilio editum de saclibororum canonicitate, alibi reposuimus; sed et illud adjicimus, episcopos Germaniæ datis literis suam aperuisse mentem que plane conformis erat iis quæ deinceps in concilio constituta sunt (*Cf. Branca op. cit. lib. I, cap. III, § XIV.*).

Ad 2. Resp. Esto; nec enim ex auctore, vel auctoris vulgatae versionis de ejus dotibus judicium rendendum est, sed ex ejus fidilitate, seu extrinseca cum textibus primigeniis conformitate, atque ex diuino plurimis seculorum usu qui publice obtinuit in Ecclesia, illam facto ipso probante, illique auctoritatem conciliante, quicunque demum sint qui eam conferent.

Ad 3. D. In privatorum codicibus, Tr. vel C. in codicibus qui publico ecclesiariu[m] usui inserviebant, Subd. qui tamen identem emendati sunt a nevis, quos labente tempore contraxerant, C. secus N. Fieri certe non potuit in tanta exemplarium multitudine et varietate, ut quedam vitia vel librariorū incuria et oscitania, vel privatorum audacia aut imperitia non irrepererint in vulgata editionem. Ast nunquam defuerunt in Ecclesia viri a prime docti qui eam revocaverint ad suam integritatem, prout præstiterunt, ut paulo ante scriptus, Cassiodorus, Beda, Alcuinus, Lanfrancus aliquæ subsequentibus ætatibus (4). Nulla

(1) Ibid. et sect. 28.

(2) Ibid.

(3) Peschito (syriacæ), idem ac simplex, pura, literalis.

(4) Cf. etiam Cellier, *Introduction*, etc. pag. 199. necnon C. Ungarelli et Cleric. s. Pauli in diss. *Collectio vulgatae latine editionis correctionum iuxta ss. concilii Tridentini acret. per summos Pontifices sixtum V. Greg. XIV. et Clem. VIII. præstilarum, Prolegomena* § 1. quæ edita sunt in *Annales delle scienze religiose*, vol. IV. num. 10. 11. ac 12. Ex egregiis viri multiplici eruditione ac veterum lin-

fortasse versio est quæ tot recensiones et castigationes obtinuerit uti Vulgata, cujus puritatè rom. pontifices consuluerunt, donec eorum cura prodit nova emendatio quæ in præsentibus editionibus cernitur.

Ad 4. D. Quia Ecclesia noluit exclusive eiusus peculiari versioni ita se addicere, ut si opportunum diceret, uni potius quam alteri lectioni adhæreret, C. alio sensu N. Quamvis enim Ecclesia adoptaverit generatim versionem ac recensionem Hieronymianam, non ea tamen ratione adoptavit, ut si judicaret in nonnullis retinendam esse antiquam lectionem, quam bonam aut meliorem esse deprehenderet, deberet eam abdicere, sicut reipsa fecit. Ecclesia siquidem vera depositaria est ac custos sacrarum Litterarum, et vera lectionis judex. Ex hoc intelligimus non cæcratione Ecclesiam se gessisse in electione versionis sue. Ceterum ejusmodi variantes nec multa sunt, nec magni momenti, uti ex Bibliothecæ divinæ s. Hieronymi collatione cum Vulgata nostra cognosci facile potest (1).

Ad 5. D. Id est, constat Vulgata latina diversis antiquarum versionum partibus quæ legi consueverunt in Ecclesia, C. informi et inconsulta collectione N. Ut jam animadvertisimus, vulgata editio majore sui parte, imo præcipua, ex versione s. Hieronymi coalescit, et ex versionibus quas ipse emendaverat ac recensuerat, nonnullis variantibus exceptis. Qua igitur ratione posset illa dici cento quidam ex diversis laciniis consutus? Elucet potius in illa summa puritas, ita ut meliores versiones antiquæ, præsertim Syriaca, et recensio occidentalis Alexandrina, ac Palestinenis maxime eidem congruant: quo sit ut Michaelis ipse haud affirmare dubitet, versionem latinam cunctis versionibus occidentalibus basim ac fundamentum constituisse (2).

Ad 6. D. Differt vulgata versio a textibus primigeniis, et quidem prout nunc habentur, in nonnullis accidentibus, Tr. vel C. in iis quæ ad substantiam pertinent N. Has variantes seu differentias jamdiu collegerant Bellarmenus (3), Buentop (4), Goldhagen (5), Czuppon (6), aliquique passim (7). Ostenderunt porro auctores isti non solum in doctrina, sed neque in substantialibus rebus ullam reperiri discrepantiam inter versionem vulgatam ac primigenios textus, quod jam latenter protestantes ipsi, quorum testimonia

guarum peritia præstantis laboribus haud parum fructus in rem hanc nostram derivavimus.

(1) Cf. Prolegomena in Biblioth. divinam s. Hieronymi Martianæ et Pouget que in edit. Parisiensi habentur vol. I. et in edit. Vallarsi tom. IX. cf. etiam Jos. Blanchini, *Vindiciae*, etc. *Divisa Bibliotheca*, seu variantes lectiones V. T. iuxta hebreiæ veritatem translati, et Novi græcae fidei redditi a s. Eusebio Hieronymo.

(2) *Introduct.* tom. II. chap. 7. sect. 21. cf. etiam tom. I. chap. VII. sect. 2 suiv.

(3) *De verbo Dei* lib. II. cap. 12, 13 et 14.

(4) In op. cui tit. fecit זכר נסיך seu *Luz de luce*.

(5) *Spicilegium Apolog. præcipitor. N. T. locorum quos novatores nostra in vulgata accusant.* Ad calcem sue catholicæ græci N. T. edit. cum variantibus lectionibus, quæ demonstrant vulgatam latinam ipsius græcis N. T. codicibus hochedum authenticam. Mogunt. 1775.

(6) *Vindiciae vulg. lat. sect. 5.* pag. 586, seqq.

(7) Morinus *Exercitation. biblic.* Blanchinius, *Vindiciae*, etc.

paulo ante attulimus aut indicavimus, iisdemque alia plura adjici possent, si opus esset. Hic præterea omitti nequit nonnullos veluti discrepantem a textibus primigeniis versionem latinam eo nomine traduxisse, quod minime hæc conyeniat cum codicibus seu codicum familiis quas ipsi secuti sunt. Ast hi memini se deberent versionem latinam pluribus seculis vetustiorem esse codicibus omnibus quos adhuc possidimus; et codices hodiernos comparari haud posse cum antiquioribus quos præ manibus habuerunt antiqui interpres, in quibus diversæ lectiones inventebantur a recentioribus discrepantes (1), eademque iudicio Ecclesiae veriores. Quamobrem non semel de vera lectione a versionibus illis queri debet ac statui (2). Ad summum dici potest editionem vulgatam nondum esse numeris omnibus absolutam, ita ut in rebus leviori momenti aliquot adhuc nœvis aspergatur, quæ ulteriori castigatione opus habereant, prout nonnulli etiam docti catholici fassi sunt, imo eam efflagitarunt (3). Quod quidem a sola publica ac legitima auctoritate, nempe rom. Pontificis, minime vero a quopiam privato individuo præstari posset, ut ipsa rei de qua agitur natura exposcit.

Ad 7. D. Id est, non convenit in omnibus vulgata editio cum quolibet peculiari codice, aut etiam cum quilibet singillatim familia, quæ primitivum codicem repræsentet, Tr. non convenit cum iis simul sumptis, aut saltē cum iis quos præ oculis habebat s. Hieronymus, deinde vero Cassiodorus N. Difficile est re-

(1) Hoc luculententer patet ex iis quæ scribit s. Hieronymus ad Damasum, in quibus, cum commemorasset codices Lucianeos et Hesychianos quos reprobat, proficitur se Evangelio ad veteres codices emendasse, scribens: « Igitur haec prefaciuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia... codicum græcorum emendata collatione, sed veterum; quæ ne multum a lectione latine consuetudine discrepant. » Isti autem veteres codices, sunt Palestinenes quos collegunt et emendaverat Origenes, ut ipse met proficitur *Comment. in Matth. XXIV, 56*, et in *epist. ad Gal. III, 4*, ubi subdit: « Hoc quod in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus, quicque reperiuntur in Bibliotheca Cesarea et Pamphilo collecta. Porrum Veteris tum Novi Testamenti codices MSS. qui adhuc asservantur, si excipias Vaticanum et Alexandrinum seu Londonensem, qui tamen Hieronymo posteriores sunt, pauci admodum ascendunt ad sec. 7. vel 8. reliqui omnes posteriores sunt. Cf. Czuppon op. cit. tom. I, p. 114 seqq. in uota.

(2) Quod nec difficitur ipse Michaelis, *introd.* tom. I. ch. 7, sect. 15. et alibi. Sane hanc regulam secutus est s. Hieronymus ad repudiandos codices Lucianeos et Hesychianos, ut legitur in cit. epist. ad Damas. « Quum multorum gentium linguis scripta ante translata, doceat falsa esse quæ addita sunt. » Certe plures partes in N. T. reperi in quibus Vulgata veriorem exhibeat lectionem quam textus ipse græcus, eruditæ critici agnoscunt, præsertim in Actis apostolicis, adeo ut in his non vulgata ad textum græcum textus ad latinam vulgatam exigendus sit.

(3) Inter quos J. Bernardus de Rossi qui in *introductione alla sacra scriptura*. Parma, 1817. § 78. quum plura disseruerit de vulgata editione quam, prout prodit per Sextum V. et Clementem VIII., etiæ emendatorem esse affirmet cunctis anterioribus editionibus haud tamen dissimilat nœvos quibus adhuc infecta est, concluditque: « E dumque da desiderari, et vivamente desideriamo per decoro e splendore della religione, e della Volgata medesima, che sorga un nuovo Pontefice, il quale ce ne dia una nuova più corretta, e più accurata edizione, e renda più compito e più perfetto il beneficio di que' due suoi predecessori. Qual nuovo titolo di gloria non sarebbe questo per lui! » Jam retulimus Lucam Brugensem loca collegerisse in quibus optabat Vulgatam emendari, quæ non minus 400 sunt.